



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

18. An Sacerdos surdus, non autem mutus possit aliquando Sacramentum Poenitentiae ministrare, ut v. g. si quis necessitate pressus adimplendi praeceptum annuae confessioinis, non habens alium Confessarium ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. XVII.

An qui teneatur aliquando confiteri cum Confessario, de quo dubitat, an habeat jurisdictionem, v.g. si non adest nisi Confessarius approbatus in aliena Diœcesi? Ex part. 5. tractat. 14. & Misc. 2. Refol. 111.

Quid hoc §. 1. legi doctri. nam Ref. pœnitent. & ut magis certetur statim hinc hinc vi de supra §. pœnit. & ut Ref. 14. & Misc. Ref. & hinc

Casus potest frequenter accidere, ut verbi gratia, quis ratione scandali, vel præcepti teneatur celebrare, vel communicare, & non adit nisi Confessarius approbatus in aliena Diœcesi, quæritur an in hoc casu sit cum dicto Confessario ante celebrationem, vel communionem præmittenda confessio? & affirmativam sententiam docet Cornejo in r. 2. D. Thom. tractat. 8. disput. 4. dub. 2. in fine, ubi sic ait: Colligitur ultimum non licere Confessario, nec pœnitenti uti jurisdictione dubia sine magna necessitate, & ad evitandum grave damnum, & tunc sub conditione. Ita Suarez 3. part. tom. 4. disp. 26. sect. 6. quod non liceat regulariter, & per se loquendo; patet ex dictis, quia uterque exponeret se periculo facile eligendo Sacramentum nullum; in quo dubio tenetur partem tutiorem eligere; quod verò liceat per accidens in casu necessitatis, & noximenti vitandi, probatur, quia positus his duabus conditionibus aufertur obliquitas actus; nam necessitas est causa ut non fiat temerè, nec ex mera, & irrationabili voluntate; conditio verò sub qua Confessarius utitur tali jurisdictione, tollit periculum; nam si adest vera jurisdictione, fiet Sacramentum; si verò non adit, non fit injuria Sacramento, quia conditionalis nihil ponit in esse; ubi nota non solum in his casibus esse licitam ut in jurisdictione dubia, sed etiam esse necessarium ad evitandum scandalum, aut grave aliquod inconueniens: ut si scandalum sequatur ex eo, quod pœnitens non communicet, aut non celebret, tunc enim tenetur præmittere confessionem dubiam, si non potest certam, & confiteri peccata sua dubio Confessori, si non habet copiam alterius, nec solus actus contritionis sufficit. Hæc omnia Cornejo.

2. Sed adversus illum insurgit Sanchez in select. edit. Lugd. disp. 44. num. 13. ubi ita asserit: Obiter advertendum maximè erit Sacramentum habentem lethale crimen, & volentem celebrare, neque invenientem Confessarium, qui sit ab Ordinario proprio approbatus, non fore constructum sua crimina aperire approbato in aliena Diœcesi, quia tunc merito arbitratur copiam Confessarij deficere; nec tenetur qui aliorum opinionem sequi, propria deserta, & multo minus in materia Sacramentorum, ubi sacrilegij periculum evenire poterit. Sic ille. Putat igitur in casu deficiente Confessario certo, non esse præmittendam confessionem eum Confessario dubio.

RESOL. XVIII.

An Sacerdos surdus, non autem mutus possit aliquando Sacramentum Pœnitentia ministrare, ut v.g. si quis necessitate pressus adimplendi præceptum anima confessionis, non habens alium Confessarium nisi surdum, teneatur per signa

confiteri, vel scribere sua peccata, ut absolutionem obtineat?

Et an pœnitens in tali casu excusetur ab obligatione confessionis quadragesimalis, quando non potest confiteri nisi per scriptum? Ex part. 5. tr. 6. Refol. 19.

§. 1. **V**T si quis, v.g. necessitate pressus adimplendi præceptum anima confessionis, non habens alium Confessarium, nisi surdum, teneatur signis confiteri, ut ab illo absolutionem obtineat? Et respondeo affirmativè; nam adest obligatio præcepti, quod potest pœnitens adimplere; ergo tenetur. Et ita docet Hurtadus de Pœnitent. disputat. 8. difficult. 4. in principio. quia, ait ille, confessio potest fieri sine inconveniente dictis signis. Sed an in tali casu pœnitens teneatur scribere sua peccata, & præbere illa Sacerdoti surdo ut absolutionem ei impertiat, tam affirmativè, quam negativè probabiliter responderi potest, ut tradit Fagundez pr. 2. libr. 1. capit. 6. numer. 9. ubi sic ait: Dubium tamen est, utrum excusetur pœnitens ab obligatione confessionis Quadragesimalis, quando non potest confiteri nisi per scriptum, præsentem Confessario, quia, v.g. Confessor surdus est, & non potest se aliis verbis ipse pœnitens explicare, & certè hac de re opinio est pro utraque parte probabilis. Ita ille, & patet ex rationibus adductis in resol. 3.

Quoad hoc infra lege doctrinam Ref. 71. & §. & Ref. ejus annot. secunda.

Sup. hoc infra lege doctrinam Ref. 72. & aliorum ejus not.

Quæ hic est infra Ref. 72.

RESOL. XIX.

An Ecclesia tribuat jurisdictionem, quando adest communis error, sine titulo collato. Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Ref. 43. alias 45.

§. 1. **V**T gesta valeant, non satis est communis error, sed necessarius est titulus collatus à superiori, quamvis invalidus sit ob aliquod vitium latens; quare dum aliquis sine titulo, & auctoritate superioris in officium Judicis, Parochi, aut Confessoris se intrudit, licet communis error facti accedat, gesta per illum ad utrumque forum pertinentia, sunt prorsus invalida; ita ex cap. infamia, ver. verumtamen 3. q. 7. & ex l. Barbarius, de offic. Prat. probat Sanchez de matr. lib. 3. disp. 22. n. 49. & præter Doctores, quos ipse citat, docet etiam hanc sententiam Lessius lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 26. sect. 6. n. 7. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 1. n. 102. & 103. Coninch de Sacram. disp. 8. dub. 3. n. 22. & dub. 6. n. 47. Villalobos in sim. tom. 2. tract. 1. diff. 13. n. 5. Filiuc. tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 227. Joan. Valerius in differentiis utriusque fori, ver. nullitas, differ. 7. num. 2. & novissimè Fagund. prac. 2. lib. 7. c. 2. n. 73. & alij.

Sup. hoc in Ref. seq. §. Imo. & in Ref. 1. post seq. & latè in tom. 3. tr. 1. ex Ref. §. Sed difficultas, & in tom. 2. tr. 6. Ref. 81. & 82. §. Et tandem & in tom. 8. tr. 1. ex Ref. §. Sed auctorem cursum ad medium. Verè Insuper.

2. At his minimè obstantibus, quod est valdè notandum, non desunt viri doctissimi asserentes, quòd ut gesta valeant, tam in foro externo, quam conscientia, satis sit haberi communem errorem, nec necessarium esse, titulum collatum à superiore legitimo. Et ita docet Basilius Pontius de matr. lib. 3. c. 22. n. 46. & post illum Joan. Sancius in selectis, disp. 44. num. 3.

3. Notent hoc Confessarij, quia hæc opinio est nova, & satis probabilis, & ex illa bono communi magis consulitur, quam si præter communem errorem titulus quoque foret necessarius. Rationes hujus sententia adducit Basilius Pontius ubi supra.

RESOL.

INTON
OPERA
TOM. 10 II
E III